

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVINTA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAGESIMAE, Epistola, Hier. 7.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

*Cibus, potus,
& vestitus
ex natura
sua nemini
coram Deo
polluunt.*

FERIA QUINTA

poterant intelligere, docens negligendum esse scandalum, quod impij sumere solent ex pia doctrina: qualis erat hæc Christi, de natura ciborum, ac ratione ex natura petita, sententiam suam Petro roganti interpretationem edisserit, post gravem comminationem, qua ipsorum ruditatem, & hebetudinem arguit, quòd adhuc sine intellectu essent, docet cibum, potum, & vestitum ex natura sua neminem coram Deo polluere: sed solo peccato hominem coram Deo pollui, quod hoc ex corde suam originem fumeret, ut sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiae. Propter hæc enim, quia natura sua mala sunt, & verbo Dei prohibita, venit ira Dei super omnes, qui iis inquinati sunt. Manducare autem manibus non lotis, aut communibus, non coinquinat hominem. Omnia enim munda mundis, nec potest animus, qui incorporeus est, defædari, nisi inquinamento & sordibus peccatorum.

FERIA QUINTA HEBDOMADAE

TERTIAE QUADRAGESIMAE,

Epistola, Hier. 7.

Verbum quod factum est ad Hieremiam à Domino, dicens, Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, &c. Finis Epistolæ: habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam dedi patribus vestris à seculo, & usque in seculum.

EPISTOLA Prophetæ agit tria.
I Primò, Iussu Domini Iudæos prætextu religionis impunitatem peccati sibi pollicentes, quòd, scilicet, Deum verbis faterentur se nosse, factis verò negarent, graviter arguit, ac reprehendit, damnans impiam hypocrisim, & quam imbibebant, falsam superstitionem de Deo conceptam, quasi gentilium Deorum more, aut solo sacrificiorum nidore, magnificis anathematibus, & clamorosis orationibus, 3. Reg. 18. quales erant Baalitarum, oblectaretur. Quæ opinio eorum est, qui ex suo ingenio naturam divinam æstimant: nec aliud Deum esse somniant, quàm quod ratio

ne assequi possunt. Itaque docet aliter lōgē de Deo sentiendum, & alia ratione colendum. Obseruandus est hic locus ab Episcopis, Pastoribus, & Prædicatoribus, quorum est stare in porta domus Domini accēsos zelo Dei, instructos verbi cognitione, vitæ probitate, ne mens à lingua dissentiat, tum etiam eximere animis hominum fallas de Deo opiniones, Epicuræam securitatem, & inanem fiduciam de sola fide conceptam. Ut enim impiè credebant Iudæi ob splendorem templi, quotidiana sacrificia, orationes frequentes, tutos esse in conscientia, etiam si interim turpi lasciuiæ, & moribus improbis diffluerent, omni impietate & auaritia feruerent: ita ve-
reor ne nunc quoque Christianorum magna pars, prætextu fidei, aut religionis, sibi impunitatem peccatorum polliceatur. Stent ergo ministri in porta domus Domini, ut, scilicet, ipsius voluntatem annuntient.

*Episcoporum
officium.*

2. Secundo, Ostendit quo cultu à fidelibus velit Deus coli, & adorari, nimirum, cultu, & inuocatione, tam externo, quàm interno. Nam toto errant cælo, qui Christum, Iohan. 4. abstulisse arbitrantur omnem cultum externum, quando tantum, ut hoc loco Propheta, hypocrisis, & superstitionem tollat, docens omnem externum cultum, si animi pietate destituatur, & vera fide, laruam esse tantum, quam homines admirantur, non quæ Deo placeat. Qualis enim quæso esse potest eorum oratio, elemosyna, vel ieiunium, quibus nō dico peccatum, sed ne ipse quidem affectus peccati displicet: qui elemosyna sibi videntur velle immunitatem peccandi mercari: ad lites & contentiones ieiunant, percutiunt pugno impiè, Isa. 58. Et quū, iuxta Hier. in cap. 1. Isa. quotidianis operibus malis sanguine plenæ habent manus, in oratione dies noctesque cōiungunt, Idē purgari animū vult prius Propheta, quod nequeat arbor mala bonos fructus facere, Matth. 7. Idē, inquit, Bonas facite vias vestras, & studia vestra, hoc est, ut loquitur Isaïas cap. 55. derelinquat impius viā suā, vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Ergo ne cum ceco dices, Deū peccatōrē non exaudire, quod August. damnat, & ea opera contemnes, quæ peccatores in statu peccati mortalis constituti agunt. Certē si dum a-

*Quo cultu à
fidelibus ve-
lit coli De⁹.*

*Purgatio a-
nimi neces-
saria.*

gunt nulla ducantur peccati poenitudine, nec resipiscendi proposito animo conceperint, nullius ego apud Deū meriti hæc arbitror, nisi fortasse temporalis alicuius mercedis præmiū mereri apud Deum, vt probitas Naaman, Syriæ meruit felicitatem. Romanorum iustitia, orbis imperium. Atqui nunquam merebuntur æternā gratiam, vel gloriā, vt, scilicet, nobiscum habitet Deus per Spiritum diffusum in cordibus nostris: Effugit enim fictio, & non potest habitare in corpore subdito peccatis, Sapient. 1.

Inani fiducia, quæ.

3 Tertiō, Dissuadet inanem fiduciam, quam facile solet animus concipere ex obedientia religionis. Sic Iudæis non profuit circumcisio, quam docet Apost. fuisse signaculum iustitiæ, sacrificiorum oblationes diuinitus institutæ, cognitio promissionum diuinarum, templi cultus splendidissimus, & prædicatio Prophetarum. Prohibet enim Propheta ipsos confidere in verbis mendacij, dicentes, *Templum Domini, Templum Domini*, putantes templi ornatum, ac promissiones, quæ, 3. Reg. 8. ipsi templo factas posse patrocinari ipsorum impietati. Ita vereor, vt nec nobis in seculo illo Dei iudicio prosint Christiani nominis professio, fidei prærogatiua, sacramentorū vsus, & cognitio scripturarum: quibus in hac vita cæteris gentibus præstamus: si mens à lingua dissociat, si mores professioni non congruant. Nam, Apostolo teste, Galat. 5. nec circumcisio, nec præputium est aliquid, sed noua creatura, id est, vera vitæ nouitas: qua deponentes mendacium, & omne circumstans peccati pōdus, loquimur veritatem cum proximo, & vt monet Propheta, iudicium facimus inter virum & virum, aduocū, pupillo, viduæque non facimus calumniam, nec sanguinem innocentem effundimus. Quibus verbis Propheta summam Christianæ perfectionis completur, quam & Apostolus, 1. ad Thessal. 4. exprimit dicens, Nequis circumueniat in negotio fratrem suum, &c. Perstringit autem Propheta potissimum iudicum errata, qui facillimè subuertebant iudicium, corrupti munerum largitionibus, tum quòd plerūque Senatorū, ac Principum mores, populus imitetur. Prouerbi. 29. Ecclesiastici 10.

Mores professioni congruere debent.

Luce 4.

Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis, &c. Finis Euangelij: Et erat Math. 8.
predicans in synagogis Galilee. Mar. I.

 VIA vitio primorum parentum humana natura vtrunque, & in animo, & in corpore grauius est laesa, declarat hoc Euangelio Christus, sese à Patre missum medicum, non tantum animorum, sed & corporum: proinde ab ipso, quacunque premamur infirmitate, salutem esse petendam. Considera autem in hoc Euangelio tria.

I. Primò, Insignem Christi & ineffabilem mansuetudinem, etiam erga omnes, qui, vt agra hæc socrus Petri, magnis sese febribus diuersarum cupiditatum premi sentiunt, ac non in synagoga Pharisaica, aut in diatribis humana Philosophiæ, vel in hæreticorum conciliabulis conquescent: sed in domo Simonis, quæ est vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia. In hac enim, licet grauissimè premantur peccati ægitudine, vt lecto prauæ consuetudinis affixi assurgere nequeant, aderit tamen sanctorum communio, cuius beneficio (vt solet aridas in vite palmes, donec in ea permanferit) tandem accipiant beneficium, & auxilium gratiæ cælestis, quæ ardorem malarum cupiditatum, scilicet, libidinis, auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, & iræ semel extinguat, atque ab hac dira tyrannide liberet. Sed donec à corpore Christi, quod est Ecclesia, te ipse non abscideris. Ea enim vera est Noe Arca, extra quam nulli salutē assequi licuit: in qua tamen animalia, licet immunda, seruabantur, tū misericordia conditoris, tum iusti merito. Nequeunt enim irritæ apud Deum esse sanctorum preces, quum dixerit, Petite & accipietis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc fiet vobis. Efficax ergo est fidelium oratio, quæ ex fide proficiscitur, sed in fidelium vnitate: à qua qui seiungitur, nec fide, nec oratione iuuabitur.

Mansuetudo Christi.

Domus Simonis Ecclesia.

Sanctorum communio.

Ecclesia, Arca Noë.

2. Secundò, Admirandam Saluatoris misericordiam, qua facilem adeò sese exhibuit in admittendis piorum precibus, quas ex fide offerebant, vt omnibus agris manus imponeret, nullum reiiceret, & potentiam, qua stas super agram ita curauit, non vt lentè amissus corporis vires reciperet, sed simul integram valetudinem, & corporis robur redderet. Hæc qui in Christo agnouerit, & per fidem fuerit professus, Roma. 10. vt se Christo subiiciat, præceptis ipsius obtemperet, & medicam eius manum admittat. Is continuò surget, accepta peccatorum remissione, quam bona & præcedit, & comitatur voluntas, adiuta per gratiam: sed per sacramenta, qua tanquã gratiæ instrumenta, in Ecclesia sua reliquit Christus. In qua sola ea vult esse efficacia curandis & animorum, & corporum morbis: sed non recuperata valetudine deses & otiosus perlistas, sed vt Christo ministres, Ro. 6. Sic exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, &c.

*Sacramenta
gratiæ Dei
instrumenta.*

3. Tertiò, Modestiam Christi, qua voluit ab improbis & malignis spiritibus suam virtutem prædicari. Nam dæmonia clamantia, & dicentia, quòd esset filius Dei, increpat. Siquidem non vult Christus veritatis, & fidei hostes audiri, licet enim verù subinde dicant, hoc ideo, vt pòst tutius decipiant, agunt. Porro quum nullus sit hostis nocentior Euangelio, fidei, Christo, fidelibus, & Ecclesiæ, ipso dæmone. Nulla enim conuentio luci ad tenebras, Christo ad Belial, 1. Corint. 6. Idcirco Christus acerrima comminatione ipsum increpat, fideles admonens, ne quid vel cum ipso, vel cum ipsius membris, vt sunt Sage, Phytones, Arioli, heretici, & infideles, occultæ communicationis contrahant, nec veritatem ab iis quærant, vt multi hodie libris hereticorum veritatem verbi Dei quærun: nec alibi sese eam inuenire iactant, quod non potest, nisi maximi esse erroris, vt insaniq argumentum. Sed quum idem hîc profiteantur dæmones, quod apud Matt. Petrus, scilicet, quòd sit filius Dei, quorsum Petri fides laudatur? Dæmonis autem damnatur, quia Petrus sincerè & amando: dæmon verò fraudu

*Hereticorum
libri non le-
gendi.*

*Error here-
ticorum civ-
em calibat.* lenter, & vt decipiat, confessionem edidit. Quia ex hoc loco occasionem captant aduersarij contra calibaturn, & continentiam Sacerdotum obganniendi, magna coa

tentione asserentes, coniugatos fuisse Apostolos, ac proinde, iuxta Pauli (vt, scilicet, illi volunt) doctrinam, Episcopum esse vnus vxoris virum debere. Præstare enim honestum cōiugium vagæ libidini, & flagitioso cōcubinatui paucis, quæ sit Catholicæ Ecclesiæ doctrina, accipe, nimirum, omnia Apostolorum facta, quum multa sint personalia, non debere ad commune exemplum trahi. Quosdam enim, etsi coniugatos fuisse admittat, non omnes tamen, vt veteres Ecclesiæ patres ostendūt. Neque quenquam Apostolorum demonstrabunt aduersarij, qui post Apostolatū à Christo acceptum matrimonio se se copularit. Quod honestum coniugium præstare turpi libidini clamitant, nemo id Catholicus negat, quum Ecclesiæ decreta in concubenarios, & libidinosos Sacerdotes tam sint seuera, vt in nullos magis. Quod asserunt Episcopum vnus vxoris virum esse debere, hoc Catholici omnes non eò referunt, vt iam Episcopus consecratus cum vna contrahat, sed ad primitiua Ecclesiæ necessitatem, quæ bonorum virorum raritate laborabat, vt cogeretur eos etiam promouere, qui matrimonio iuncti fuissent, aut etiamnum essent. Quæ morem etiamnum Græcorum Ecclesia seruat, non autem eum, quem contra scripturas, contra iura, tam Ecclesiastica, quàm civilia, contra denique tot annorum centenariis in Ecclesia Christi seruata consuetudinem inuehant aduersarij, vt, scilicet, Sacerdotes votifragi quas velint ducant vxores: scilicet, hoc est purum Dei verbum, hæc veritas Euangelij, vt libidini indulgeas: ei pro arbitrio frena laxas: ac nō potius, vt mundi sint, qui ferunt vasa Domini, vt carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigant.

Confirmat hoc Euangelium articulum illum fidei, quo profitemur in Ecclesia esse Sanctorum communionē, iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omniumtimentium te, & custodientium mandata tua: quum enim fideles omnes sint vnus corporis membra, cuius caput Christus, à quo influxum gratiæ cælestis omnia membra recipiunt, sequitur (vt in rebus corporeis videmus) membrum membro iuuari, & pro se inuicem esse sollicita membra.

Nullus Apostolus post Apostolatū à Christo acceptum se matrimonio copulauit.